

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
PINGVEDINE

QVAM
PRÆSIDE
D. IOANNE HENRICO SCHVLZE
MEDICINÆ ELOQVENTIÆ ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO

ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRÆ CVRIOSORVM
ET PETRIPOLITANÆ VT ET REGIÆ SCIENTIA-
RVM SOCIETATIS BEROLINENSIS
SODALE

PRO GRADV DOCTORIS

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

A. d. XXVIII. Septemb. MDCCXXXIX.

SVBIICIET

AVCTOR

IACOBVS WILHELMVS BERTRAM

PERLEBERGA MARCHIVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

Physiol.

265, 2.

Physiol. VIII. 52.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and mostly illegible due to fading and the texture of the paper. Some words are difficult to discern but appear to be arranged in several lines.

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

V I R O
PRÆNOBILISSIMO ET EXCELLENTISSIMO
D O M I N O
IOANNI HENRICO
SCHVLZE

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORI AC VTRIVSQUE
NEC NON ELOQVENTIÆ ET ANTIQVITATVM
PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO
ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRÆ CVRIOSORVM
ET PETRIPOLITANÆ VT ET REGIÆ SOCIETATIS
SCIENTIARVM BEROLINENSIS SODALI
PRÆCEPTORI HOSPITI AC PROMOTORI
AD CINERES COLENDO

NEC NON

V I R O
PRÆNOBILISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D O M I N O
SAMVELI IOACHIMO
BERTRAMO

MEDICINÆ DOCTORI ET PRACTICO IN PATRIA
LONGE MERITISSIMO
CIVITATIS PERLEBERGENSIS PHYSICO
CELEBERRIMO

PATRI SVO INDVLGENTISSIMO

IN GRATI ANIMI TESSERAM OB TOT BENEFICIORVM GENERA
TENVE HOC MONVMENTVM

qua decet animi submissione & modestia

D. D. D.

JACOB WILHELM BERTRAM.

VIRI

*PRÆNOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI,
EXPERIENTISSIMI*



Vllum me amplius tenet du-
bium *VESTRIS* nominibus
hasce plagellas inscribere,
quum beneficiorum, quæ
in me contulistis, tanta sit
multitudo, ut merito ingratitude ac-
cusarer, nisi aliquo modo grati animi indi-
cium testificarer. A primis enim tem-
poribus, quo auram Hallensem inspirandi a
PATRE DILECTISSIMO nactus sum veniam,
tanta, *PRÆSES EXCELLENTISSIME*, me su-
scepisti humanitate, ut in admirationem
plane

plane raperer. Quanti enim æstimandum id est, quod liberum instructissimæ bibliothecæ usum concessisti, quod aditus ad TE nunquam non patuit, quod consiliis me regere, ac dubitantem & hærentem instruere & dirigere nunquam gravatus fuisti. Porro si singularem TVAM in me erudiendo sinceritatem, ingentesque ex quotidiana TECUM consuetudine utilitates considero, non possum, quin TIBI me totum debere agnoscam. Majorem autem his addidisti cumulum illo tempore, quo fortuna mihi locum faciebat, hospitio etiam TVO & convictu fruendi. Patrem TE exhibuisti, meque filiali observantia TE semper culturum promitto. Quæ vero me causa impulerit TIBI, DILECTISSIME PATER, hocce offerre specimen, neminem fugiet, qui officia filii erga patrem cognita habet. A primis enim unguiculis singulari me prosequutus es amore & benevolentia. Maxime autem

A 3

TE

TE indulgentem ab illo expertus sum tem-
pore, quo patrios deserere lares studia coe-
gerunt. Suppeditasti non solum subsidia,
quæ requiruntur ad vivendum & rite per-
tractanda studia, sed consilio TVO pater-
no semper mihi adfuisti. Quid pro tantis
beneficiis TIBI offeram, nescio: hinc gra-
tum filii obedientissimi animum, ut accipi-
as, rogo. Superest, ut a VOBIS, VIRI EXCEL-
LENTISSIMI, qua decet submissione petam,
velitis primitias hæc lucubrationum mea-
rum Academicarum serena fronte accipe-
re, meque VESTRO favore amoreque sem-
per prosequi. Deum T. O. M. rogabo,
ut VOS semper incolumes, salvos, omni-
que felicitatis genere florentes conservet.
Halæ Magdeburgicæ a. d. xxv. Septembr.
M DCC XXXIX.

Q. B. F.

Q. B. F. Q. V.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE

PINGVEDINE.

PROOEMIUM.



Inguedinem esse ex illis corporis animalis partibus, quæ numquam constantes & perpetuas rationes habent, sed in aliis admodum exigua copia, aliis maxima & ad insignem molestiam excessiua quantitate deprehenduntur, res adeo nota est, vt & homines a medicina non instructi probe norint, experimentis quæ ex animalibus in culinæ vsum mactatis perceperunt. Neque medici toli nouimus idem animal, quod alio tempore omnino macilentum ac strigosum fuit, alio pingue deprehendit: & quod amisso pingui suffartoque habitu redire ad maciem queat soleatque: istaque vicissitudo sæpius per vitam accidat. Satis etiam notum vulgo est, quæ causæ pinguia reddant animalia, quæ pinguedinem colligi impediunt: planeque antiqua ars est animalia sagin-

nan.

nandi, plerisque patribus familias notissima, & ad ipsos rusticos iam pridem delata. Enimuero videmus hoc in multis, quod res vulgatissima & plane quotidiani exercitii, paucos permouerint ad totius negotii veram indolem causalemque nexum requirendum: & quod in placitis illorum plures soleant acquiescere, quum tamen intimius rem cogitantibus valde dubia & intricata sese obiciant. Id an iuste satis de pinguedine hominum & animalium dici debeat, beneuolus lector iudicet, si nostras meditationes expendere ipsi vacaverit & libuerit. Visum autem mihi fuit esse argumentum aliquo studio dignum, quum & physiologia de eo merito quærat, & pathologia satis difficilium ac pertinacium affectuum sedem in pinguedine quærare debeat, aut saltem non immunem a varia labe eam inueniat. Ne iam dicam quod analepticæ seu instaurantis medicinæ non exigua pars ad pinguedinem quoque respiciat & circa illam occupata esse debeat. Equidem quæcunque de hoc argumento commentatus sum, beneuoli lectoris liberrimo iudicio subiecta & permissa esse modeste cupio, in partem lucri repositurus, si de iis, vbi minus recte calculos posuerim, monitus & ad meliora deductus fuero.

§. I.

§. I.

QVando dissertationi titulum feci de *pinguedine* non ignarus fui esse grammaticos, qui nomini isti dicam scripserint, & Latinum esse negauerint, proque eo dicendum suaserint *pinguitudinem*. Equidem paruissem monitis, quum nihil graue sit syllaba vna inserta reprehensionem effugere, nisi vere dubitarem de iustitia causæ illorum, qui Latinum illico negant, quod in aureæ ætatis scriptore nullo legitur, in aliis tamen, neque infimæ ætatis auctoribus illis, obuium est. Plinii quidem auctoritatem nobis eripiunt, qui negant hoc vocabulum, quod impressi quidam codices exhibent, in scriptis occurrere; quod ipsis tantisper credimus: sed PALLADIUM, sæculi tertii scriptorem, satis cetera tersum, nemo, quod sciam, corrigere ausus est *lib. X. tit. 16.* quem quidem locum inferius adducendi commodiorem ansam habebimus. Enimuero putavi me veniam eandem esse impetraturum, quam consequuti sunt ante me alii medici, non lutulentis propterea adscripti, quod nomen longo & quotidiano vsu in scholis tritum, & si non optimum, neque tamen prorsus improbandum, retinere non dubitauerunt.

§. II.

Siue autem pinguedinem, siue pinguitudinem dicas, nomen esse deriuatum apparet ab adiectiuo *pinguis*, cuius notionem non vnam esse & perpetuam apud veteres scriptores, facile deprehendet, qui velit vsum consulere. Vbi enim equos, agnos, hoedos, tædas, sues

B

pin-

pingues legimus, facile apparet quod intelligere debeamus talia subiecta, his prædicatis determinata, multo istiusmodi succo, quem pinguem vocamus, cum aqua non sociabili & flammam concipiente atque alente, suffarta & impleta. Quando autem pinguem caseum, humum, tellurem, aristam, aut pingue serum, aruum, flumen Nili, defrutum, pingues denique hortos & similia auctores nobis recensent; omninoque ingenia & carmina pinguia, pinguemque mineruam accusant, quis non videt aliam subesse debere notionem. Solent fere talium pleraque exponere quod tropice significant, positusque sit effectus pro causa efficiente. Sed valde incautum esse oportet interpretem, cui non alicubi suboleat alius significatus, isque certis locis prorsus necessarius. Sic quando apud VIRGILIVM *georg. II. vers. 148.*

Pinguis humus, dulcique vligine leta
canitur, si lector perrexerit ad versum 248. intelliget quid poeta sibi valuerit. Ita enim sese explicat:

Pinguis item quæ sit tellus, hoc denique pacto

Discimus: haud umquam manibus iactata fatiscit,

Sed pietis in morem ad digitos lentescit habendo:

idque in virtutibus agri non haberi porro legens animaduertet.

§. III.

Cui hæc memoriæ obuersabuntur, is non adhæretet *Georg. I. 105. cumulis male pinguis arena, qui, vers. 113. II 4. paludis collectum humorem bibula deducunt arena.* Idem *Georg. IV. vers. 269. igni pinguia defruta non suspicabitur pinguefacere, ignemque pro materia igni alendo idonea acci-*

accipiet; sed in rei rusticæ scriptorum expositione acquiescet, ex quibus discimus quod pinguedo denotet spissitudinem, seu crassamentum. Clarissime rem edocet, quem supra ostendimus, PALLADIVS *l. c.* quando diamoron parare docet *ad pinguedinem mellis excoquendo, & cydonites libr. XI. tit. 20. decoquere iubet, donec tota permistio pinguedinem puri mellis imitetur.* Hæc enim idem valent, ac illud, quod paulo ante, *tit. 18. dixerat ad spissitudinem decoctum esse, quæ instar mellis aut picis liquidæ digitis adhærescat.* Pinguis igitur caseus, videtur exponendus, quem Homerus *νεόπηκτον* vocat, Virgilius *lac pressum*, id est caseus recentissimus, qui digitis eius, qui tractare eum adgreditur, adhærescit. Videtur itaque quæri posse annon aliquid inter pinguedinem & pinguitudinem interfit, quod constituere nobis difficile est, postquam auctorum veterum genuina scriptura per librarios & criticos dubia est reddita. Certe COLVMELLAM *lib. XII. cap. 50.* video pinguitudinem illo sensu ponere, qui a pinguedinis sensu Palladiano distinctus est, quando dicit: *sane quæ semel oleum testa comibit, alteram gummitionem non recipit: respuit enim olei pinguitudo talem materiam, qualis est gummi: scilicet gummi est in aqua solubile; oleum aquæ commercium respuit.*

§. IV.

Sed hæc non sola est controuersia, quæ de duobus nominibus agitur, sed acrius est certamen de differentia pinguedinis, adipis, seui & axungia: cumque prior disputatio fere inter philologos tantum ferueat, altera hæc scholam potissimum medicam olim distrahit & excitat. Scilicet quæritur an homini adeps aut pin-

guedo tribui debeat. Cumque cute corporis remota anatomici veteres, GALENUM sequuti, panniculum carnosum, deinde adiposum, posuerint: non solum de ordine isto, homini applicato, disputatum est; verum etiam de nomine, vtrum pinguedinosus iustius vocetur, an adiposus. Hac occasione de Græcis vocabulis λιπώδης, πιμελή, σέας, & si qua plura sunt, vix exitum habituræ disputationes mouebantur, aduocatis Galeni, Aristotelis, aliorumque testimoniis. Enimvero bonum vtrique factum dicas, quod nostra ætas illam controuersiam omnino omittit: absitque a me, vt vnico verbulo concordiam turbem, quæ adipem & pinguedinem homini absque discrimine tribuit: seuum autem, sebumue, illud vocat, quod duriorum & in frustra dissilientem consistentiam sub frigore nanciscitur, ipsisque æstiuis diebus tractari potest, vt digitis non adhærescat, nisi quis forte feruenti soli diutius iusto exposuerit: axungiam denique, ab usu axium inungendorum olim dictam, linguæ pharmacopœorum, cum multis aliis, condonat.

§. V.

Hæc vbi de nomine attigimus, putamus edifferendum esse, quam vim vocabulo in titulo dissertationis posito tribuamus, vt lector noscat quid expectare ab hæc comentatione debeat. Est itaque pinguedo substantia crassa, oleosa, quasi butyracea in cellulis membranaceis, tenuibus, alicubi tenuissimis, transparentibus & inter se inuicem communicantibus contenta, easque cellulas in aliis magis, minus in aliis, replens & extendens. Cum hac descriptione omnino conuenit

Exc.

Exc. HEISTERVS, ex cuius *comp. anatom. p. 10. § 24.* eam desumimus. Si iam quærimus de pinguedine, qualem eam anatomicus in dissectionibus obuiam habet, ob partes continentes, scilicet vesiculas & cellulas, referri potest ad solidarum censum: si vero contentum spectemus, utpote potius, pertinet utique ad fluidas, quia copiosissimam pinguedinem in circulantes humores resumi videmus, vnde fit, ut in hominibus & animalibus, inedia longoque morbo aut ætate extenuatis, & emaciatis, vacuos sacculos inueniamus: arte etiam eliquari pinguedo possit, solo membranaceo relicto: quod imprimis in medulla ossium præstitit RVYSCHIVS, ut in thesauris eius commemoratur. Atque sic certamen vetus de loco pinguedini inter partes assignando; de quo copiosus est ANDR. LAVRENTIVS *histor. anat. h. c. p. m. 220.* facile potest componi.

§. VI.

Materiam pinguedinis esse in genere quidem succum nutriendo aptum, copiosiore autem, quam qui ad præsentis corporis utilitates requiratur & adhiberi possit, pulchre ex iplo HIPPOCRATE quondam ostendit vir clarissimus D. D. DAN. WILH. TRILLERVS, quum ante hos XXI. annos ex hac ipsa cathedra *de pinguedine, seu succo nutritio superfluo*, disputaret. Quum vero solidæ corporis partes quæcunque ad calorem & aquam aliter sese habeant, quam quidem pinguedo; quippe quæ non ita eliquantur & aquæ seorsim supernatant, quemadmodum in pingui videmus: non possumus ita absolute intelligere pinguedinem, quæ se in corporibus offert & eliquari arte potest, esse illam

B 3

aut

aut illi perfecte similem materiam, ex qua corpus nutriendum fuisset, si locus fuisset ubi apponeretur. Potius illud intelligimus materiam illam nutritiam transire & mutari in pinguedinem, ablata aliqua parte, quæ, coniuncta prius cum pingui, constituebat materiam nutrimenti & incrementi proximam. Hæc autem pars non alia est, præterquam serum tenuissimum & purissimum, ex ipsis menstruis nostris animatis suppeditatum: quod quamdiu cum pingui iunctum est, constituit admirabilem illam materiam proximam, unde omnis generis fibræ nascantur & augeantur. Clarissime hoc intuemur in chirurgicis casibus, ubi attendimus quid fiat ubi abscessuum iam repurgatorum magni sinus successiue explentur noua carne. Hanc enim videmus subnasci ex materia cremori lactis simillima, ad saturatæ emulsionis seu chyli spissioris instar, ceterum apta quæ possit aqua dilui; quod in pinguedine iam formam suam adeptam minime accidit.

§. VII.

Quo vero pacto materia istiusmodi a massa sanguinis secedat, & per gradus in illam, quæ cernitur, pinguedinis formam & consistentiam redigatur, per partes considerandum est. Quibuscunque vescimur, siue sint a vegetabilibus siue animalibus desumpta, si quidem nutrire ea nos debent, insunt particule vel aquosæ, vel mucilaginoso-farinaceæ, vel explicite iam pingues seu oleosæ. Hæc menstruis nostris resoluta, ubi ad duodenum delata sunt, admixta bile vniuntur, ut instar lactis album humorem referant, qui chylus vocatur. Is sanguini infusus, & cum eo diu versatus, variis
cola.

colatoriis & vasculosis angustissimis visceribus, siue depuratus, siue attritu illo multo subtilior redditus, tandem fit aptus, qui possit solidis partibus apponi, ibique cuilibet seorsim assimilari. Id quidem quo pacto fiat, hoc loco non debet proponi, quia ad nostram quaestionem proprie non pertinet. Hoc tamen satis clare discimus ex chirurgica praxi, quod tenuissimum ac quasi rorulentum esse debeat, quicquid huic negotio impenditur; & quod rubedo sanguinea omnino absit. Ex quo cognoscimus ultra arteriarum sanguiferarum terminos prouehi debere, quod apponi ad corporis augmentum debet: veroque simile esse inde ulterius prouehi, quod nimis fluidum est, & reuehentibus lymphæ viis tradi, ut ad humorum massam futurosque usus referatur.

§. VIII.

Atque ita se rem habere intelligimus ex eo, quod quæ crescunt animalia, si eorum carnes decoquas, plurimum lymphæ gelatinosæ præbere solent: illorum autem, quæ iam incrementum capere desiuerunt, minus id faciunt. Illa potius pinguedinem multam colligunt, si copioso alimento nutriantur, ad labores autem minus impellantur. Colligitur autem pinguedo, ubicunque vasa sanguifera tenuiora per membranas laxas decurrunt. Eiusmodi membranæ ubicunque sunt, possumus eas, flatu per tubulum immisso, distendere, atque sic cellulosum aliquid inflatum, quod emphysema in pathologia dicimus, producere. Atque illa membranæ laxæ dispositio cellulosa est quasi causa procatartica pinguedinis colligendæ. Ut autem actu colligatur
ex

ex parte valorum per illa spacia decurrentium alia adest dispositio, non minus experiendo cognita. Scilicet illa, humorum, quæ continent, copia distenta, sinunt elabi & perfluere per minimos poros tenuissimum fluidum, quod spacia cellulosa prædicta subit, ea implet, sensimque ex vna in alteram proximam promouetur: quo tardo progressu tandem secedit fluidum aqueum, & pingue densatumque post se in illis cellulis relinquit.

§. IX.

Hunc sibi modum veteres iam conceperunt, vt videre licet apud laudatum ANDREAM LAVRENTIVM, qui absque vilo errore ita scribit: *pinguior sanguinis portio per tenues venarum tunicas roxis instar exsudat.* Vnde id cognouerit, non adiecit: sed experimenta docent veritatem asserti, cum eo tamen, vt non solum de venis, sed de ipsis etiam arteriis tenuioribus, id secure possimus affirmare. Experimenta capturis, vix non semper succedet hæc methodus. In manu hominis quære vnam alteramue venam, ipsique tubum commodum rite applica, vt possit massa ceracea iniici, ligata prius vena subclauia. Si brachium spongiis aqua tepida imbutis bene & satis foueris, reple venas, quantum fieri potest, probeque caue, ne quid possit refluere per tubum alligatum. Vbi refrigerata omnia erunt, prouide venas nuda a pinguedine circum nata. Videbis clare venas omnino integras & nullo modo perruptas transmisisse quod fluidius erat de iniecta materia ceracea. Si viridi colore tinctam adhibueris, illum colorem satis late per omnem venæ ambitum videbis: si cinabari ceraceam massam tinxeris, pigmento quidem non

non

non transmissio, solum illud ceraceum transsudasse liquido cognosces & admiraberis. Idem tibi usu veniet si per arteriam cordis coronariam immiseris ceram: de quo copiosius differuit D. PRAESES in commercio physico-med. litter. Norimberg. Ann. I. p. 35. arrepta occasione a simili iniectionum successu, quem D. D. ALBRECHTVS commemorauerat: de quo ibidem p. 31. relatum legitur.

§. X.

Vt itaque succus nutritius ex venis elabatur, opus omnino videtur, vt boni sanguinis copia notabilis praesto sit, quæ valorum diametros probe expandat, sicque per attenuatas & rarefactas tunicas tenuissimum sinat transfluere. Quo autem elapsum per tunicarum laterales poros in pinguedinem coeat, requiritur ante omnia quies, seu tardior parciorque motus. Sub auctiore enim & continuo corporis motu, dum humores per pulmones crebrius celeriusque traiciunt, fit omnis circulatio citatior, & dum elapsi in illos sacculos pinguedinosos vnda vndam trudit ac impellit: totum illud fluidum lymphaticum, celerius, quam pars eius condensari possit, abripitur, circuloque redditur, sub quo continuante non parum in serum vrinofum eliquatur, plus per transpirationem vel insensibilem vel sensibilem expellitur. Atque sic ratio manifesta est, cur homines æque ac animalia cætera, quibus magni, multi continuandique labores necessarii sunt, sub plenissimo victu non grauentur pinguedine: contra autem illis, qui cupide copiosum victum assumunt, recteque concoquunt, pigra & molesta aruina cito succrescat, quando laboribus aut plane destituuntur, aut non ea proportione eo-

C

que

que gradu funguntur, qui consumendo superfluo fit sufficiens. Illud etiam, puto, elucescit, cur vegeti febriles motus non solum pingues fieri non permittant, sed etiam iam ante collectam pinguedinem cito consumant.

§. XI.

Humoris autem antea cum fluido aqueo commixti transitum in naturam penitus oleosam, postquam humidum aqueum magis magisque effluxit, multa docent vegetabilium exempla. Noces auellanae, iuglandes, amygdalae, quando ab suis tegminibus & involucris discedunt & elabuntur, manifestam nobis sistunt naturam inter aquosum & oleosum mediam, neque purum oleum sub hoc statu fundunt. Si pauculos dies indulgeas, quibus ad liberum aerem iaceant, auferendumque humidum permittant: praebent utique sub torculari pressae verum merumque oleum. Si eosdem nucleos ante maturitatem examines, videbis, quando adhuc multum ab ea absunt, intra membranas nucleum futurum ambientes puram & limpidam aquam, in semimaturis autem nuclei rudimentum simili aqua circumdatum: prorsus ut agnoscere debeamus oleosi continuante affluxu, aquosi autem detractione, tandem pinguis nuclei perfectionem absolui: eodemque modo folliculis pinguedinosi successiuam impletionem & maturitatem accidere.

§. XII.

Confirmat hanc pinguedinis nascentis theoriam contraria ratio oedematis, seu tumoris, quem schola medica frigidum & aquosum dicere solet. Nam si aliqua

qua

qua causa effecerit, vt sanguis in partes libere per arterias influens, per venas non refluat æqua libertate & copia; hincque necessario accidat venam inflari & superonerari; cito sane exoritur œdema, & nisi remoueantur causæ, nimis cito inualefcit. Videmus hoc in illis; vbi polyposæ concretiones in vasis hærent, aut vbi corpora prementia & angustantia illis incumbunt: vt in ligaturis sæpe necessariis, aut scirrhis venam prementibus. Sub tali statu permanente increfcit celeriter tumor, aquositas affluit, subsistit, partem extendit & inflat: sed ob nimiam humiditatem continuo affluentem nihil concrefcit, quin potius quod concretum ante & laudabilis pinguedinis naturam nactum fuerat, simul dilutius fit & a natura priori discedit: quod sectiones œdematosorum quemque docere poterunt.

§. XIII.

Atque ex dictis iam elucere puto naturam & originem pinguedinis: quam quidem in pluribus animalium generibus differentem aliquibus modis probe video; sed a me, qui medicum mihi scopum præfixi, non posse requiri puto, vt in remotiora ab hominum natura excurrem. Loca, vbi pinguedo potissimum concrefcit, sunt omnibus nota. Præcipue celebris est ille tractus magnus, sub cute proprie dicta vsque ad musculos; quin etiam inter musculos: deinde in omento, mesenterio, circa renes, cor, inque orbita oculi. Intestinorum crasforum vasis sæpe notabiles pinguedinis portiones, appendicularum instar, adhærent, eaque circumcingunt & includunt. Atque his omnibus locis vasa sanguifera a vicinis excurrentia, & pinguedinem traicientia,

bene notare licet; sed longissimum esset, si de iis singularim instituere sermonem deberem. - Ea tam arteria, quam vena, quæ adipola vocatur, quia in pinguem tunicam renibus superstratam disseminatur, satis est nota, nec quicquam habeo, quod addam illis, quæ in anatomicis institutionibus iam leguntur.

§. XIII.

Vnicum est, in quo mihi non possum plane satisfacere; quod non reticebo. Scilicet quum arteriæ ad cerebrum medullamque ab ea deductam, abeuntes, tenuissimas membranas habeant, vt apud omnes notissimum est: cur ibi non æque, vt aliis in regionibus, extransudante tenuissimo, pinguedo colligatur. Attigit hoc problema cel. BOERHAAVIVS *institut.* §. 296. ipseque videat lector, an responsum facile inuenturus sit, ex præmissis doctrinis. Mihi nihil aliud succurrit, quam quod natura tenuem cerebri menyngeam, quæ vascula deducit, cellulosam & dilatabilem in sacculos non fecit, ipsasque vasorum tunicas firmiores, & poris lateralibus aut omnino destitutas voluit, aut, si qui adsunt, vnde humiditas lymphatica transsudat exigua, eam in lymphatica vasa, per vias non satis liquide cognitatas, illico emittat. Atque id videtur innuere vir celeberrimus, quando de infundibulo & glandula pituitaria mentionem §. 295. iniicit, tamquam emissariis, quibus lymphæ, in ventriculos continenter effusa, ad venas iugulares & cor amandetur.

§. XV.

Qui concessimus iam in celeberr. D. D. TRILLERII sententiam, quæ & HIPPOCRATIS fuit, pinguedinem

dinem colligi ex succo nutritio superfluo: illud tamen non ita volumus intellectum, quemadmodum vitiose superfluum dicimus sextum digitum, aut aliquid simile, quod monstrositatem affert. Potius ita rem capimus, ut in re familiari recte constituta laudamus suppetere quidem quod quotidie consumatur: sed non satis bonum patrem familias iudicamus, qui non prouidet ut etiam aliqua ante parata sint in futuros usus, quam ea necessitas requirit. Sic prouidere ut victus commodo tempore paretur, & suppetat quando minus facile parabilis est, nemo in vitio habet: aliquando id leges publicæ requirunt, inque eum animaduertunt, qui negligens hac parte fuit. Atque ita comparatum est cum corporibus nostris, ut sanissima illa aliquid superflui succi nutritii ferant sine incommodo, idque ad venustatem & pulchritudinem decoram conuertant. Neque enim quisquam laudat corpus sanum, agile, laboribus sufficiens, si strigosum & macilentum sit: neque equum ad omnes actiones satis comparatum, nisi etiam bene sit habitus & adpectu decorus: omninoque censores Romani in equitibus auferendi equi publici causam legitimam rebantur impolitiam, hoc est si minus bene curatum equum aliquis in annua transuectione adduceret.

§. XVI.

Non itaque omnis abundantia nutrimenti, indeque collecta pinguitudo, reprehendi potest aut solet, sed ea, quæ corpori molestias facessit in exercendis actionibus & functionibus membrorum internorumque viscerum. Ceterum vero iudicamus naturæ instituto

congruam aliquam mediocrem abundantiam: quod inde potissimum colligimus, quia omnis pinguedinis defectus non solum pulchritudinem aufert, verum etiam actionibus haud paucis obest. Atque initio quidem nemo negabit pilos tam capitis, quam ceterarum corporis partium, ubi natura eos dedit, ad corporis decus pertinere. Illis autem natura, tanquam debitum solum & quasi aream, dedit pinguedinem. Vnde fit ut morbi, qui pinguedinem abstulerunt, capillorum defluuium subsequens habeant: senes autem calui & recaluastri tunc demum fiat, quando pinguedo sub eorum densata cute nulla amplius continetur. In eunuchis, tanquam natura illatam sibi vim abscondere vellet, scrota, testibus virilitatis vacua, pinguedine multa obsidentur, & pilis copiosioribus teguntur: quod RYSSCHIVS in thesaur. anatomic. observavit.

§. XVII.

Quod actiones non paucæ minus commode subeantur a valde emaciatis, quas antea facile peragebant non longe quærenda sunt exempla. Si hominem consumta pinguedine strigosum iubeas iter paucarum horarum non incommodo, immo etiam satis commodo vehiculo facere: causabitur is itineris molestiam, omninoque optabit eo supersedere posse. Nates, etiam pulvinaribus fartis impositæ, dolebunt, & dorsi lumborumque sensibiles dolores gemitus ipsis expriment: prorsus ut semel iterumque capto experimento itinera omnia reformidare & quouis modo a se amoliri tentent: illa præcipue, quæ locis saxosis confragosisque facienda sunt. hisdem ob pinguedinem, post oculi bulbum
olim

olim collectam, nunc deficientem, oculi officium minus promte commodeque faciunt; utique in versando illo celerius deficient, atque delassari se sentiunt, ubi diutius se impendere tali oculorum vsui debent, ubi huc illuc versandis illis, & modo propinque positis modo remotioribus accuratius considerandis opus est.

§. XVIII.

Iam ut rugae seniles illis, qui cum honore ad illam maturitatem peruenerunt, dedecori nulli sunt; nemo tamen optabile decus illas censet, sed multi multaque sunt, qui emendandis illis enixa opera student. Quoniam autem consequens necessarium sunt cessantis sublataeque pinguedinis, quae cutim prius bene farserat & extenderat: nunc certe ex absentia causae, quae venustatem effecerat, cognoscimus non fuisse noxium superfluum, quod vegetiorem & florentem aetatem commendauerat. Cumque emaciati porro ad omnes labores facile fatiscant: videndum annon hoc in illis, qui a morbo nuper semet recuperarunt, nec aetatis vitio languent, magna ex parte debeat pinguedinis defectui, quae musculis, quibus interiecta est, motus maiorem facilitatem praestat, utque minus inuicem se premant & atterant, efficere videtur. Ut & illud negari a nemine potest, citius celeriusque sedendo standoque debere illos omnes laedi, circa quorum vasa & nervos nulla mollis pinguedo iacet, ponderique partem sustinet, quam ubi illa praesens est. Certe longo morbo detenti, eiusque causa diutius decumbentes, grauibus molestisque vlcibus solent corripri, a stagnantibus humoribus initium nactis, remotiorem autem causam nul-

nullam aliam potentio-rem habentibus, nisi compressio-
nem ab ipso corporis quiescentis pondere.

§. XVIII.

Iam ut utilitatem pinguedinis præsentis aliquot morbosorum, aut molestorum tamen affectuum, qui absentiam pinguedinis consequi solent, hætenus ostensum iuimus: ita non possumus, quin saltem digitum, pro ampliore huius argumenti consideratione, intendamus ad affectus varios pruriginosos, qui senibus ingruunt vna cum pinguedinis defectu, & vix vlla arte emendabiles durant, nisi analepticis internis & externis præsi- diis nimiam siccitatem aliquantum corrigamus, inque vacuos sacculos pinguedinosos aliquod humidum blan- dum inducamus, quo vel collectæ sordes acres & irri- tantes diluantur; vel, quod forte potius est, collapsæ & corrugatæ, partim etiam pressæ extremitates ad cu- tim porrectæ, ita ad statum pristino æmulum adducan- tur, ut exhalatio per insensibilem vel sensibilem trans- spirationem restitui valeat. Testantur utique observa- tiones nihil talibus æque profuisse, quam curationes humectantes per lac dilutius, per serum lactis, per iuscu- la gelatinosa & ptisanas, alterantes simul nutrientes: qui- bus exterius balnea tepida blanda succenturiari debent, & post illas cutis senilis inunctiones oleis & adipibus optimis, quæ fibrarum aqua emollitarum flexibilitatem & mollem statum diutius conseruent. Hac arte quon- dam vfa Medea, fabulæ ad nos propagandæ, tamquam fenes in lebeta decoquendo & vnguentis magicis, iu- uenes reddere nouerit, originem dedisse videtur: de quo, si plura cupis, adi D. PRAESIDIS *hist. medic. p. 103.*
alios-

aliosque qui a magica infamia eam liberare non minus feliciter quam ingeniose aggressi sunt.

§. XX.

Plures pinguedinis utilitates, a scriptoribus medicis indicatas, suo loco positas relinquo: non possum tamen quin vnam, ab illustri quondam viro MARC. MALPIGHIO inprimis commendatam & omento potissimum accommodatam, paucis attingam. Sententiam eius admirabili breuitate complexus est celeberrimus etiam post fata BOERHAAVIVS *institut. med.* §. 330. Scilicet ex arteriis omentosis, circa sacculos pinguedinis in plexus reticulares tenuissimos distributis, ope lateralium emissariorum, intra sacculos pinguedinis secerne oleum tenue & subtile sanguinis, ibidemque colligi atque retineri, ita vt tandem ex sacculis his adunatis, inque ductus quosdam patentibus, collectum hoc oleum expelli, atque ad hepar vsque promoueri queat, eaque ratione affundi sanguini lienoso eo pariter adferendo, & bilis elaborationi adhibendo. Iam addendus §. 332. quo hæc ita illustrantur: quum omentum non obseruetur in homine aliud habere vas excretorium, præter binas venas, epiploicam dextram & sinistram: probabile fit sanguinem omenti venosum lymphæ & oleo diuitem, omnem affundi, misceri, sanguini in hepar fluxuro.

§. XXI.

Enimuero liceat mihi salua reuerentia, quæ summis viris debetur, modeste profiteri, quod illum pinguedinis, ex arteriis secretæ, reditum in venas nulla ratione possim capere. Primo quidem nulla pinguedo secer-

D

nitur,

nitur, nisi in animalibus nutrimento abundantibus, quorum ut arteriæ, ita etiam venæ, iam abunde repletæ & expansæ sunt; ut intelligi non possit, quæ vis impellere oleosum pingue in vasa renitentia & locum non habentia vacuum, queat. Deinde autem obstat experientia, rerum magistra, quæ nos docet venas bene plenas effundere & transmittere potius id, ex quo pinguedo nascitur, quam resorbere & intra se recipere. Tandem non potest ullus excogitari color, quo natura, in omnibus sapiens & nihil frustra agens, hic ab accusatione frustranei & otiosi conatus possit absolui & defendi. Secernitur oleosum ex arteriis, inque sacculos recipitur; quo fine? ut ex sacculis istis illico regrediatur in venas. Quæso te, lector, annon idem oleosum in easdem venas faciliore itinere venturum erat, si mansisset cum sanguine arterioso usque ad illud spacium, quo arteria in venam mutatur? Quare liberrime profiteor hanc mihi doctrinam non videri naturæ legibus conciliabilem; & quicquid ab omento ad bilis elaborationem expectari potest, siquid seorsim ab eo expectandum est, in eo potius quærendum esset, quod nimiam oleosorum quantitatem, bilem inertiolem reddituram, auertit & aliquantulum diuertit: quo magis perfecta tam laudabilis humoris elaboratio eueniat.

§. XXII.

Video hanc sententiam, de pinguedinis reditu ad sanguinem per venas, pluribus magnis viris probabilem esse visam: qui iidem propterea dari aliquam pinguedinis circulationem docent. Equidem ut plane cum illis etiam credo posse certo & determinato sensu statui

tui

tui circulationem eius; eo scilicet, quod semel depositum in suos folliculos pingue, accedentibus causis ad id efficacibus, ex illis abripiatur atque ad massam reuehatur: immediatum tamen reditum in venas non possum admittere. Quo autem pacto rem fieri intelligam, pro libertate sentiendi omnibus concessa explicabo. Diximus superius per tenues membranas arteriolarum & venarum transfudare fluidissimum lymphaticum, quod in sanguine est: hoc implere cellulosa membranæ lacculos, quorum semper est communicatio cum subsequentibus: quod probare illico licet per emphysema casu aut arte productum. Ergo illud, quod semel ingressum est, a subsequente trudetur & propelletur, illa utique parte quæ nondum ab aquosa fluidiore discessit & densari cœpit. Illa fluidior portio ita suo sequitur itum venarum, id est ab extremis partibus ad cor tendit: istæque cellula pinguedinosa inter se communicantes sunt verum & vnicum iter lymphæ a partibus extremis ad cor refluentis. Nam quod NVCKIVS nobis sistit eius vasorum crebris valvulis nitide distinctum systema, a digitis extremis ad interiora decurrens, id totus virorum anatomicorum chorus cum Pallade adstante miratur, stupetque non viri artem, sed ter maximam in fingendo, quæ nullibi in rerum natura sunt, pulcherri-
maque chalcographorum arte abutendo, audaciam.

§. XXIII.

Quando lymphæ, per tot cellulas decurrendo, ad articulationes maiores peruenit, glandulas ibi collocatas, ut inguinales, subalares, traicit, atque isto demum loco vera lymphatica vasa, id est cylindrici ductus val-

uulis distincti & ad cauitates proximas sese immittentes, in conspectum veniunt. Non opus est igitur nouas vias quærere: quum eadem, quæ lymphæ, etiam sufficiant pinguedini ad lymphæ fluiditatem redactæ. Nihil itaque superest, nisi vt quæramus causas, a quibus pinguedo in iustam densitatem semel redacta, ad fluidum statum reuocetur, omninoque lymphæ iterum fiat. Mihi proximum videtur, vt ipsi restituatur, quo ablato lymphæ esse desinebat & fiebat pinguedo. Id fieri videmus in œdemate, quod cuius sanissimo homini intra paucas horas producere expeditissimum est. Quisquis autem œdematosum corpus secabit, deprehendet vtique id omne, quod alias pinguedinem continere solebat, meram lymphaticam humiditatem continere. Si arte homini induxeris istiusmodi tumorem, scilicet ligaturis strictioribus ita aptatis, vt potissimum illam regionem comprimant, sub qua maxima istius membri vena decurrit: plerumque satis cito iste tumor sponte euanescit, membrumque antea notabiliter œdematosum alteri non ita tractato simile redditur, remota ligatura; scilicet lymphæ coaceruata diffluente & ad massam sanguineam redeunte.

§. XXIII.

Non rarum est videre homines, cum febre aliqua diu conflictatos, plenum valdeque suffartum corporis habitum ita perdere, vt vix aliud videantur quam ossium compages quædam cute superinducta. Huius autem euentus causam requirenti, hæc mihi videtur vero simillima. Sub febrilis paroxysmi initia claris signis cognoscitur aliqua habitus externi notabilis strictura, sub
qua

qua humores ad interiora compelluntur. Succedit calor febrilis, quo totum corpus vritur, ficcus tamen, ut cutis non deprehendi possit quicquam exhalare. Quum tamen fieri non possit, quin sub ista sanguinis incallescencia multum eius in tenues vapores resoluatur, qui per poros non possunt exitum sortiri, quippe arctissime clausos; irrumpere coguntur aceruati illi vapores in pinguedinis cellulas, ubi a colore magno febrili fusæ iam liquatæque pinguedini intermixti in motum eam compellunt & protrudunt: sicque efficiunt ut quouis paroxysmo bona pars ad sanguinem redeat: qui inde, ubi vena detractus & refrigeratus est, cute tenaci satis in superficie tectus apparet, & ad lymphæ a calore spissatæ indolem accedit. Neque excludo aliam etiam causam, ab ipso calore febrili, humoribus turgescenciam afferente, expandi & vrgeri vasorum diametros, unde per laterales poros confertim etiam traicit tenuior pars sanguinis: sicque impulsam liquatæ a calore pinguedinis magis intendit. Priorem modum magis de exiguis vasculis ad cutim tendentibus intelligo: posteriorem de maioribus & profundius sitis. Atque hoc modo resolutæ, inque humorum alueum abreptæ pinguedinis bona pars deinde per sudores subsequentes dissipatur, non exigua autem in lotium eliquatur.

§. XXV.

Toto die videmus homines & animalia pinguedinis collectæ satis magnam molem non longissimo tempore consumere posse, quando otio & desidia omissis ad verum quendam laborem deducuntur & minus lauto victu vtuntur. Puto hic modum, quo dissipatur pinguedo,

potissimum pendere ab illa humorum incalescentia, quæ motum laboriosum subsequitur: qua vasa repleta magis expanduntur, vt per tunicas eorum diapedesis illa toties dicta eueniat confertim & impetuose: qua iam antea sub deside quiete condensata pinguedo resoluitur, fluidum statum resumit, in massam reducitur, & sic per excretiones plures & auctiores dissipatur. Id si diutius continuatur, & ab assumtis parciores & minutæ suppetiæ veniunt, non mirum est cum tempore vim magnam pinguedinis eliquari posse. Tantoque id magis euenire in illis solet, quibus cum parciore diæta & laboribus continuis etiam curæ, continuandæ meditationes, affectus molesti, vigiliæque anxie coincidunt. Quem autem modum intelligere debeamus in illis, qui mera inedia, aut omnis alimenti defectu, consumunt pinguitudinem, fateor me non satis capere, quoniam observationum accurate consignatarum auxilio destituor. In homine vix cogitari potest aliqua huiusmodi calamitas, quin verosimile sit ea pressum omnibus viribus obnixurum esse, laborando conandoque: quo posito adsunt antea dicta omnia. Quanto autem tempore pinguis homo diutius reluctari inopiæ possit, quam minus suffartus, a nemine annotatum inuenio.

§. XXVI.

De animalibus multa lego, quod dormiendo pinguescant, vt vrsi. Sed videtur multum esse incertum & tralatitium in illa narratione; potiusque per auctumnum pinguefacta animalia in speluncis per hyemem degere, dormire, suaque pinguedine semet sustentare videntur; quam pingua dormiendo reddi. Illud certe scio exserpenti-

pentibus nostratibus plures simul, finiente æstate captas & exenteratas, vt dici solet, fuisse, quæ omnes valde pingues inueniebantur. Ex his maxima & pinguißima conseruabatur viua, quæ cum per aliquot menses durasset, & plerumque immota in vitro latis amplo per hyemem sine alimento iacuisset, vere ingresso moriebatur, omninoque exsiccata & succis destituta reperiebatur. Atque hæc hæctenus dicta, vt modum, quo pinguedo in humores resumitur, aliquibus exemplis adumbraremus, fuerunt: in quo si minus satisfecerimus, nihil tamen temere assumsisse nos, & ex gratuitis hypothsibus filum argumentationis produxisse, deprehensum iri confidimus.

§. XXVII.

Transimus nunc ad pathologicam pinguedinis considerationem strictius instituendam, videbimusque an ipsa pinguedo morbus, morbiue causa fiat, quibusue in morbis causam foueat in se, & tamquam subiectum eius, contineat. Omnino autem fieri posse, vt pinguedo nimia morborum atque adeo mortis causa fiat, indubium videtur. Testem antiquissimum habemus HIPPOCRATEM, qui optimum habitum, vbi ad summum perductus est, periculi plenum pronunciat. Atque vt bonum sanguinem laudamus, eiusdem etiam copiam probamus, sed excessiuam copiam motricium fibrarum vires excellentem, improbamus; a plethora autem commota potissimum periculum extimescimus: ita rem fere perinde se habere cum pinguedine intelligimus. Illud interest, quod sanguini abundantanti in cellulas pinguedinosas quasi perfugium est, quo nimium & fluidissimum deponat.

ponat. Quam primum autem hæ etiam impletæ sunt, vt omnino nihil amplius admittant: vitæ vtique imminet illud periculum, vt fibræ solidæ cordis & arteriarum non possint amplius tantam ad comprimendum vim adferre, quanta requiritur. Sic igitur æquilibrium sublato inter mouentes vires & mouendi resistantiam; aut si mecum rectius id putas, æquilibrium illo dato & subnato, desinit motus humorum progressiuus & mors adest. Eaque ratione credo mori homines pinguißimos & animalia summe saginata: quorum subitaneas mortes non rarissime fieri, probatione, vt quidem spero, nulla indigebit.

§. XXVIII.

Id si grauissimum & extremum non eueniat, nescio tamen an aliquis sanus æstimari possit, qui præ nimie pinguedinis mole non potest fungi omnibus sani hominis partibus: ipsumque sibi oneri se esse probe intelligit. Scribit PLINIVS *hist. natural. XI. cap. 37. L. Apronii, consularis viri, filio, detractos adipos, leuatumque corpus immobili onere*: quem adduxi, non tamque fidem adhiberem chirurgiæ istiusmodi, aut testimonium necessario intelligendum de ea existimem; sed vt immobile & graue onus etiam ad subeundas desperatas curandi vias vel impulisse ostendam, vel creditum aliquando fuisse, quod impulerit. Longum foret, si recensere deberem omnes a nimia pinguedine molestias. Sufficiat immobilitatem corporis, potentiam generandi minutam, concipiendi valde impeditam, gestandi vterum ac feliciter pariendi sæpe frustratam spem adduxisse: anhelationes enim, flectendi corporis difficultas, & ad omnes voluntarios

tarios

tarios motus male disposita facultas prope in omnes sensus incurrunt.

§. XXIX.

Pinguedo ad summum fere deducta, deinde commota subito & vehementiori impulsu, a calore vndeunque concitato, periculum vitæ minari, in animalibus pinguibus ad laboriosum motum fortius impulsis, sæpius visum fuit: atque idem homini metuendum ratio suadet. Sed grauissime tales luunt, quando contagia ad putredinosum motum intestinum disponentia humoribus illata sunt: quod multis epidemiis constitutionibus notatum est potissimum homines pingues & animalia saginata interire, quum macri, strigosi, debiles, magis diutiusque morbo resistere eumque longe sæpius superare soleant. Darem testimonia, nisi obuia vbi que sponte occurrerent. Satis clare apparet in pingui resoluta & ad fluxum redacta virus insinuatam progredi, quia bubonum & glandularum subalarium intumescencia crebro accedit; in ceteris vero efflorescentiæ sero limpido repletæ prodeunt. Ipsa etiam contagia lentiolem indolem habentia, vt scabiola, venerea, in pingui potissimum residere, docent multa: inprimis vero illud, quod nullum remedii genus ad funditus extirpanda illa magis & certius valet, quam quod cito ad consumendam & aliquandam pinguedinem facit, quæ inter potentissima est saluatio mercurialis, tum vero etiam sunt multæ diæteticæ curationes, per decocta pinguedinem resoluentia, atque per sudorem & vrinas euacuantia, interpositis crebris laxationibus vel sudationibus; quo toto tamen tempore ægrotus tenuissime nutriendus est.

E

§. XXX.

§. XXX.

Curationibus istiusmodi, quas metasyncriticas, itemque re corporatiuas, vocabant medici methodici, magna vis est: omninoque illis præluxit HIPPOCRATES, quando docuit impura corpora, quo magis nutriuntur, tanto magis & certius lædi. Si quis igitur cum ipsa radice euellere talia mala cupit, vt sunt venerea, leprosa, difficillimum vtique negotium habet in valde pinguibus: longeque citius in mediocriter pingui subiecto rem perficiet. Vix tamen vlli plenam securitatem præstabit, nisi exhaustis omni ope & subsidio pinguedinosis oculis, deinde nouam purioremque lympham procuret: quo factò, sub instaurante methodo prudenter administrata, cito noua pinguedo succedit. Quod si minus seduli in exhaurienda omni sentina initio fuimus, malique reliquæ infederunt, atque annis confirmatæ sunt, crebro deinde obueniunt scirrhosæ in ipsa pinguedine indurationes, ad statum vlcerosum mali moris sæpe peruenientes. Vidit D. PRAESES istiusmodi steatometosas indurationes fere semicartilagineas in viro, cui omentum vsque ad scroti fundum prolapsum fuerat, inde a scroti fundo per continuos tractus vsque ad hepar protensas. In eodem viro similis se tractus, sub cute a medio pectoris ad hypochondria flexus, deinde ad scrobiculi cordis regionem transuersim decurrens & in ligamento hepatis suspensorio finiens, sese offerebat. Illum ante aliquot annos lue venerea laborasse constabat: forteque grauia expertus fuisset, nisi ipsum mors ex alia causa abstulisset.

§. XXXI.

§. XXXI.

In vlceribus etiam scorbuticis, in erysipelate profundiori, quod phlegmonodes dicitur, inque sphacelo illo lentiori senum ex causa interna subnato, causæ sedes in pinguedine manifesto documento cognoscitur, quia valde longe absunt ab indole sanguineæ corruptionis, potiusque ichorosum & pingue aliquid corruptum, quam purulentum fundunt, & in pinguedine sub cute proserpunt, quæ super illa alienatur & corrumpitur, vt excidi debeat. Ita quoque fistulæ in tractu pinguedinoso longe lateque proserpunt. Sed in tam diuersorum affectuum plenior considerationem descendere ipsius argumenti latior ambitus, quam dissertationis limites capere possunt, & temporis angustia prohibet. Etiam hic curationes metasyncriticæ prudenter ægrotanti accommodatæ, adhibitis simul externis præsiidiis, vtramque paginam faciunt. Exempli loco esse potest curatio illius senis, quem sphacelo lento in pede correptum curauit illustris senex Dom. FRID. HOFFMANNVS, patronus, præceptor & promotor meus æterno obsequio obseruandus, qui idem eam curationem singulari dissertatione *de sphacelo ex causa interna* descriptam publico permisit.

§. XXXII.

Quod œdematum sedes sit in pinguedinis cellulis supra diximus: de hydrope, qui ana sarca dicitur, idem omnino statuendum est, quippe eum œdema vniuersale totius habitus non male dixeris; aut si quid amplius habet, ex eo natum certe & productum esse res ipsa docet. Neque emphysema alium locum habet, quam cel-
E 2
lulas

lulas pinguedinosas: quod vel ex illo lanionum prauo artificio patet, qui carnes parum pingues inflare norunt, vt expansis illis oculis emtores magis alliciant. Quin maioris indaginis est illud artificium œconomicum in armentis, quæ saginare volumus, certa ratione prius emphysema produceadi: de quo, post vetustissimos auctores, nouum boni successus testimonium dedit D. D. MAVCHARTVS *ephemerid. N. C. Cent. I. Obs. XII.* & aliqua dixit D. PRAESES in *dissert. de emphysem. §. 23.*

§. XXXIII.

Superesse nunc videtur, vt ostendamus quomodo se medicus practicus gerere debeat, quoties consulere debet homini pinguedine bona superonerato, aut corrupta & infecta laboranti, aut denique omnino emaciato & mediocrem recuperare optanti, quantum scilicet ad valetudinem laudabilem sufficit. Enimvero confido fieri omnino non posse, vt quisquam non videat, quid talibus casibus faciendum sit, qui antea a nobis posita considerauerit. Qui enim videt causas vnde pinguedo colligitur, imminutis eisdem aut remotis nimiam facile coercet, si dicto audientem ægrotum habuerit. Eisdem applicatis & in vsum vocatis, pinguem reddet hominem, in quo possunt applicari, & impedimenta omnia remoueri. Corruptam emendandi rationes sunt eadem, quibus omnis cacoehymia emendatur: sed consultissimum est auferre corruptam, nouæque & probæ generandæ locum facere. Sed tempus vrget imperatque hic statuere

F I N E M,

NOBI-

NOBILISSIMO ET PRÆCLARE DOCTO
DOM. CANDIDATO

S. P. D.

FRIDERICVS HOFFMANNVS

S. R. M. BORVSSICÆ A SANCTIORIBVS CONSILIIS ET ACADEMIÆ
FRIDERICIANÆ SENIOR.

Equidem TE, Candidate dignissime, per tres annos, quos in FRIDERICIANA nostra cum probitatis & diligentia maxima laude peregisti, assiduum Hygeæ cultorem cum iucunditate spectavi, beneque de tuis studiis ominatus sum. Quum vero deinde ex sermonibus TEcum institutis intelligerem quanto fructu audita perceptaque digesseris: magis TE diligere cœpi omninoque confidere, fore ut cum laude singulari ad metam studiorum deuebereris. Id factum cum gaudio intellexi nuper, quum TE ordini nostro explorandum subiiceres, ut ad capeffendos honores doctorales aditum, quem leges moresque maiorum requirunt, TIBI parares. Satis & mihi & collegio fecisti, laudatusque ad ultimum specimen publice edendum dimissus fuisti. Isti nunc etiam applaudo, & ad iter in patriam accincto felices successus, virtutibus & eruditioni Tuæ pares, apprecor. De mea erga Te benevolentia semper eadem futura, quam præsens expertus fuisti, certiolem TE esse, & valere ac rem prospere gerere iubeo. *Halæ d. XXVI. Sept. M. Dce. XXXIX.*

NOBIL

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
S. P. D.
PRAESES.

Reddo TIBI dissertationem tuam inauguralem, non quidem pro ea, quam a me exspectare debebas, amicitia accuratissime expolitam, sed pro ea copia temporis, qua nunc superiit, alicubi limatam vel interpolatam. Tres anni exacti sunt, ex quo TE ad nos missum, latus accepi, quippe cupidus in TE comprobandi, quantum me debere patris tuae benevolentiae studioque agnoscam, quibus meis charissimis, ante hos octo annos in Marchia cum magno periculo decumbentibus, prompte feliciterque succurrit, salutemque reddidit. Ita autem mihi etiam in TE formando ac ad artem deducendo omnia ad votum successisse, ut omni probitate, officio, studio, ingenii promptitudine & iudicii perspicentia abunde a TE satisfactum sit mea exspectationi, plane etiam atque etiam letor. Gratulor itaque TIBI academicae vitae decursum cum laude & prosperitate stadium: mihi, quod TE auditore, hospite, conuictore ita uti licuit, ut numquam fingere meliorem possim. Gratias autem TIBI plurimas debeo, qui nomini meo inscribere dissertationem tuam, nostraeque amicitiae monumentum voluisti statuere. Ego quidem quicquid in me est industriae studiique id omne TIBI polliceor & paratum promptumque semper futurum promitto, ut cognoscas me etiam absentem amore complecti. Faxit deus ut TIBI amplissime eueniant, quae ominor, quae spero & apprecor: ita futurum est ut nihil esse possit, quod ad felicitatem tuam omni numero perfectam reddendam deficiat. Hale Magdeburgicae a. d. XXVI. Septembr. MDCCXXXIX.